

**XXXIII OLIMPIADA JEZYKA ŁACIŃSKIEGO 2014/2015 - III ETAP****Przetłumacz na język polski poniższy fragment tekstu Marka Tulliusza Cyncerona.****Cynceron polemizuje z poglądem, że starość osłabia pamięć i zdolności intelektualne**

At senectute memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior. Quid iuris consulti, quid pontifices, quid augures, quid philosophi senes, quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria, neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium cum rem negligere familiarem videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quem ad modum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis iudicum est liberatus. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere ulla in agro maiora opera fiunt, non de serendis, non de percipiendis, non de condendis fructibus. Quamquam in aliis minus hoc mirum est; nemo enim est tam senex qui se annum non putet posse vivere.

(cf. Marcus Tullius Cicero, *Cato Maior de senectute*, 21-24)

**Objaśnienia:**

*Sophocles, -is* - Sofokles [dramaturg ateński, żył ok. 497 ok. 405 p.n.e.]

*Oedipus Coloneus - Edyp w Kolonos* [tragedia Sofoklesa, powstała ok. 406 p.n.e.]

*ager Sabinus* - ziemie sabińskie [historyczny termin określający tereny obejmujące część Lacjum i Umbrii]